QVAESTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS Medicorum, die Iouis XXVIII. Aprilis, Magistro GVILLELMO DV VAL Doctore Medico, & Professore Regio Præside.

Risus in Phrenitide est-ne felicis præsagij?

CORPORVM affectiones sunt sanitas & morbus, non spirituum. Mens Angelicæ conditioni suppar, ipsa sibi viuens, suáque consistens hypostasi, floret intacta in Elysijs campis immortalitatis; atque v morte, sic & morbo omni superior existit. Sed quia corpori moritur, secedendo; ideò ægrotat in corpore, ipsum informando. Mentis affectus vt est ab organi Kacopragiâ, sic eiusdem secessus à perfi diâ materiæ: quæ amorem simulans formæ huius vel illius, sese interim alijs dolosè mancipat, vt iugulet vel dimittat omnes; nouitatis auida, fœdifraga, turpis, adultera, iners, obscura, fæx & fraus natura limus Physicæ, crux Medicinæ, næuus & caligo Sapientiæ, odium entis, principium denique corruptionis. Malum tamen necessarium, à quo licet nulla vis aut facultas; vinctam nihilominus formam (qua serua Reginam) ipsâ notiorem, medico non spernendam tenet, suóque obligat temperamento. Hinc animi mores sequuntur temperamentum corporis. Hinc læso cerebro, mens offenditur & deli miris modis: cuius tamen deerrationes vt deploratas nuntiant lacrymæ, mœror, anxietas, studium, temeritas, ferocia; sic contrà placidus ac mollis risus, naturæ amicus singularis, promittit securas & leuiores.

OPORTET in praxi medicâ videre, præuidere, prouidere. Videmus Diagnosi, præuidemus Prognosi, prouidemus Therapiâ. Sed æstimamus omnia ex signis: quæ si essentiam morbi monstrant, diag nostica sunt; si exitum, prognostica: Triumphant solertes & ingeniosi in discernendis morbis & coniectione causarum, sapientes in præsagijs, prudentes in curationibus; maximè si nôrint ἰσοσυγκε-σίας. Consulta curatio est ex eubuliâ, synesi, gnome. Curat Medicus Calliam, non hominem. Hîc non meliores qui subtiliores, aut etiam qui doctiores. Ideo Medicina difficillima, quia præter polyma thiam insignem, summè est addicta prudentiæ. Qui præuidet vt caueat, prudens: alioqui sapiens tantùm & penè diuinus. Diagnosis prior Prognosi. Nemo enim præuidet, nisi viderit morbi speciem quam pars affecta cum genere proximo definit: quamuis diagnostica & prognostica ex eodem fonte. Morbus enim, vt sorex, suo se prodit indicio. Phrenitis plena periculi, quia cerebri phlegmone, vel erysipelas Apoplexia lethalis; quia meatuum cerebri obstructio. Peripneumonia anceps; quia pulmonis inflammatio.

QVÆ Diagnostica Phrenitidis, eadem Prognostica. Delirium, febris, temeritas, risus, lacrymæ, vigiliæ, rubor & squallor fixorum oculorum, linguæ asperitas, clangor vocis, locutio crebra & deordinata substillum sanguinis è naribus, iactatio corporis, manuum agitatio, respiratio magna & rara, pulsus frequens, exiguus, tremulus, vrinæ & fæces albæ, δυσαισθησία, καρφολογία, κροκιδισμος. Hæc quippe faciun ad morbi dignotionem & ad præsagium. Et quanquam non omnis Phrenitis hoc satellitio stipata sit, pathognomonica tamen sunt delirium & febris. Est enim Phrenitis, continua omniúmque pessim mentis abalienatio, cum acutâ febre, nata ex inflammatione meningum & substantiæ cerebri. Sed hinc multa pullulant ex dictis, symptomata. Quæ quò mitiora & lætiora, eò etiam feliciora. Temperies cerebri, quæ mens est Hippocrati, læditur innumerabilibus modis; Hinc genera deliriorum, quorum longa series. Stultorum infinitus numerus. Garriunt & nugantur λήρωδεῖς nullo nexu verborum, nullo sequio sententiarum. Maniaci insaniunt & furore perciti in obuios quosque, ferarum instar, insiliunt. Melancholici desipiunt, tristantur, metuunt sine causâ, silent, oderunt lucem & homines. Hoc humore cacodæ nes (qui prolem suscitare possunt, & Magico ligulæ nodo coniugalem copulam impedire) delectantur, vt luto sues. Ideo energumeni melancholici terribiles, quorum iudicium fori medici est.

ACVTA febre differt ab omni delirio Phrenitis, propterea sæpe lethalis; præsertim si primaria est, & à flauâ bile, eáque exustâ & in atram degenerante. Tunc enim signa funesta emicant, suo progressu peiora. Delirium cum studio, quasi res serias æger agitaret, ferocia, anxietas, fastidium potus, conuulsio, tremor, oculi cruenti & lacrymantes, palpebrarum depressio, lingua nigricans, suspiria, vox remissior deiectiones & vrinæ bilis expertes, pulsus durus, paruus, inæqualis, formicans, virium exolutio. At dum Phrenitidem committit sanguis humorum omnium mitissimus & suauissimus; vel è calidiori vapore intemperies, qualis ex ebrietate contingit, in tutiore loco omnia sunt; túmque felicis præsagij elucescunt argumenta. Pulsus mollior, & validior, ioci, sales, dicteria iucunda, vox clara, limpida, firma, sermo facilis, elegans, promptus, expeditus, securitas animi, lætitia, frons exporrecta, facies florida, somnia quietiora, spectra gratiora, nitidiores oculi; quibus si superueniant varices, hæmorrhoides, dysenteriæ, cum flauis deiectionibus & vrinis aureis, maiore fiduciâ salus pronuntianda: præsertim si ægro non desit Medicus repetitâ pluries venæ sectione, non tam vicibus quam viribus æstimanda: clysmis mollibus crebrò iniectis: cholagogo blandiore raro, rasurâ capillorum, embroche ex oxyrrhodino, anacollematis modicè refrigerantibus, cucurbitulis ad humeros appressis cum altiore scarificatu, hirudinibus ad tempora, pedum lotione, victu parco refrigerante & humectante, neglectis potentioribus hypnoticis.

SED risus vnus ἀδιαλείπτως; qui vt in Maniâ, Melancholiâ, Paraphrenitide, sic & in exquisitâ Phrenitide, salutem annuntiat: si modò angore animi, ferociâ, suspirijs non interruptus; pleno ore fiat, valido pectore, clarâ voce, serenis & micantibus oculis, genis deniq; suaue-rubentibus. Quippe risus eiusmodi etiam qui in cachinnum attollitur, vt animi securitatẽ, cerebri libertatem, spirituum claritatem, cordis gaudium, robur diaphragmatis, virium constantiam; sic & exuberantiâ indicat feruentis sanguinis, quo cerebrum eiusq; meninges imbuuntur & incalescunt. Atqui morbi à sanguine clementiores & curatu faciliores: & temperamento sanguinei vt ad risum, facetias, amores, vitamq; genialem procliues sunt; ita diutius, salubriúsq; viuunt. Quid verò? An non Risus redeuntis ad se mentis, aut mox rediturae signum esse potest, & quasi præcursor; vt Aurora Solis? Affecla est Rationis admiratio: At non fit risus sine aliquâ admiratione. Est enim Risus actio partim animalis, partim vitalis, homini propria, ex apprehensione rei iucundæ, nouæ, inexpectatæ, vnde admiratio in mente, gaudium in corde, quæ vibrationem & dilatationem faciunt in diaphragmate; musculis thoracis, interdum & oculorum, (hinc à lætiore risu lacrymæ) & contractionem in labris. Quidni igitur visâ hac vernantis Risus amœnitate, quasi ridente floribus viridario, lætetur ipse Medicus? quidni visâ roseâ hac & punicante aurorâ, expectet aduentum mentis, quæ primùm, quasi Sol, illuxerit; nubem humoris morbifici sit discussura, & sanitatis diem reddiτura?

Ergo risus in Phrenitide est felicis præsagij.

Asserebat Lutetiæ CAROLVS LE CLERCQ Aurelianensis. Anno R. S. M. DC. XVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Geruais.
M. Franciscus Guenault.
M. Michaël Françier.

M. Ioannes Merlet.
M. Gabriel Harduinus de S. Iacques
M. Michaël de la Vigne.

M. Petrus Seguin Med. & Profess. Reg.
M. Ioannes de Renou.
M. Petrus Pijard.